



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXIII. Argumentum. De Impedimento dirimente, Si Rapta sit nulier disserit hæ Decisio. Raptus vel est Ecstasis mentis in Deum; vel est Crimen, per vim auferens aut bona, aut mulieres alienas. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

natura tales non erant, Aseneth autem fuisse filiam alterius Putipharis, qui erat Sacerdos Solis; Maritus autem Uxoris, quæ tentaverat Joseph de adulterio, erat Princeps militæ. At possumus etiam dicere, Putipharrem post contractum Matrimonium, & susceptam filiam, ex infirmitate evasisse Eunuchum, eique virilia exaruisse, ut ex S. Hieronymo notat idem Cornel. à Lapide Genes. 39. Vers. 1.

Quo ad Decimos Impotentes, nempe Hermaphroditos, & Androgynos; hæc est regula, quod possint inire conjugium in sexu prævalente; at in sexu æquali necessarium esse iudicium Episcopi; in sexu autem minus prævalente nullo modo eos posse contrahere; & si de facto contrahant, nullum esse eorum Matrimonium. Sanchez d. libr. 7. disp. 106. Verricellus q. 196. n. 31. & 32. Aversa q. 13. sect. 2. Vers. Quinto. Vinc de Justis d. lib. 2. cap. 17. à num. 76. & seqq. qui n. 84. notabiliter dicit, quod si femina nupserit Viro, deinde in marem convertatur, Matrimonium dissolvitur; ac etiam si ante illud fuisset Hermaphrodita cum sexu femineo prævalente, nam ubi deinde sexus masculinus coeperit prævalere, irritatur conjugium, ut etiam scribunt Verricellus d. quest. 196. n. 14. in fine. & Aversa d. quest. 13. sect. 4. in princ. Qui plura scire desiderat de Hermaphroditis, legat meas Decisiones de Sacramento Pœnitentiæ, in quibus Decis. XLIII. quidquid de Hermaphroditis ex Medicis, ac Historiis sciri potest, copiose enarravi.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

De Impedimento dirimente, Si Rapta sit Mulier differit hæc Decisio, Raptus vel est Ecstasis mentis in Deum; vel est Crimen, per vim auferens aut bona, aut mulieres alienas. Tria jura Canonica punientia mulierum Raptore. Ex Tridentino Concilio Matrimonium esse non potest inter Raptorem, & Raptam, nisi hæc in loco tuto posita liberè consentiat. Resolvantur novem difficultates, scitu omnino necessariæ circa decretum ejusdem Concilii. Tandem per Historias, mala ex Raptu mulierum provenientia demonstrantur.

SUMMARIUM.

- 1 Raptus nomen habet significationem bonam, & malam.
- 2 Raptus significat elevationem mentis in Deum supra sensus.
- 3 Raptus in Deum diversa nomina.
- 4 Angelis, ac Beatis an conveniat Raptus?
- 5 Raptus significans crimen quid, & quomplex sit?

6 Raptus est species Luxuriæ exprimenda in Confessione.

7 Raptum facit copula carnalis violenta.

8 Raptus quando impediatur Matrimonium cum quacunque?

9 Raptus mulierum triplici Jure Canonico punitus.

10 Concilii Trid. decretum circa Raptore mulierum.

11 Ducere mulierem raptam an teneatur Raptor?

12 Rapere puellam consentientem an sit Raptus?

13 Puellarum Raptus frequens apud rusticos, ac villanos.

14 Patavine Diæcesis consuetudo, & pœna in villanos rapientes Puellas.

15 Carceratio Raptoris remedium bonum, ne raptus puellarum fiat.

16 Andreas Erizzo Prætor Padue Anno 1691. laudatus.

17 Raptus mulieris ad explendam libidinem an sit Impedimentum dirimens?

18 Raptus propria Sponsæ an dirimat Matrimonium celebrandum?

19 Rapere suam Uxorem in Matrimonio Rato intra bimestre an liceat?

20 Obsessio mulieris in propria domo habet vim Raptus.

21 Precibus importunis abducere puellam an sit eam rapere?

22 Fraude, ac dolo si puella invita abducatur è sua domo, an sit Raptus?

23 Femina si virum rapiat, an Raptus impedimentum incurrat?

24 Parochus assistens Matrimonio Raptoris cum Rapta an incurrat pœnam Trid. Concilii?

25 Dispensatio Apostolica in quocunque impedimento addit, si mulier rapta non fuerit.

26 Raptorem quando non possit Ordinarius ab excommunicatione absolvere?

27 Raptus mulierum semper parit mala, ac exitus infelices.

28 Ezzelinorum cum Camposampertis de Padua clades ob Raptum Mulieris.

29 Raptus non dirimit Matrimoniam contrahendum, ubi Conc. Tridentinum non est receptum.

DE Impedimento Raptus Matrimonia dirimente, ut clarè, ac breviter hic differamus; non est ignorandum, hanc Vocem Raptum habere bonam, ac malam significationem. Ejus bona significatio est, quatenus innuit Ecstasim, ac excessum mentis humane in Deum; siquidem, ut docet S. Thomas 2. 2. quest. 175. art. 5. Raptus est ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est supra naturam, ex vi Superioris nature, elevatio. Et ideo, quando mens humana elevatur supra sensus

sensus à Deo, ad audienda, vel videnda, vel intelligenda, quæ Divina sunt, dicitur rapi, & Raptum pati; ut de se ait Apostolus Paulus 2. Cor. 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (scilicet in corpore nescio, sed extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Circa quem Apostoli Raptum duo notari digna dicunt Doctores Sacri. Unum est, quod Raptus, propriè sumptus, est, quando Spiritus hominis, Dei virtute rapitur, & à sensibus alienatus, ad sublimissimam contemplationem, amoremque, ac consolationem eminentem rerum cœlestium extollitur, & in ecstasim trahitur. Et idè si tunc animæ manifestatur, quod erat incognitum, dicitur *Revelatio*; si manifestatio sit de re futura, appellatur *Prophetia*; si persona aliqua loquitur cum anima sic in ecstasim rapta, nuncupatur *Apparitio*, ac *Visio*; cum autem anima absorbetur in Divinum Amorem est *Raptus*. Ita ex S. Hieronymo, Beda, Eucherio, Thoma, ac aliis Sanctis Consalvus Durantes in *tr. de Visionib. cap. 1. col. 8.* impresso ante

4 *Revelationes S. Birgittæ. Alterum* notabile est, quod Raptus proprius est animæ Deum amantis, sed in corpore adhuc viventis; nam, ut scribit Cornelius à Lapide in *Comment. 2. Cor. 12. 2. Angeli. & anima beata non rapiuntur, cum Deum videant: quia licet supra naturam eleventur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundum naturam, idest à naturali animæ statu, qui est in homine, ut per sensus corporeos, & phantasmata, sua objecta cognoscat, & intelligat: in Raptu ergo alienatur, & abstrahitur anima à sensibus & phantasmatibus. Unde concludit: Et sic ab iis abstractus fuit Paulus, alioqui enim scivisset, se esse in corpore.* Concordat S. Bonaventura in *tract. de Gradib. Contempl.* ita dicens: *Ecstasis, & Raptus est, deserto exteriori homine, sui ipsius super se voluptuosa quadam elevatio, ad superintellektualem Divini Amoris fontem.* Hæc de Raptu in bonificatione sumpto.

In mala significatione Raptus est *Violentia*, qua quis arripit vel res, vel mulieres alienas. Qui res alienas mobiles vi rapiunt, dicuntur fures violenti de quibus agunt Jurisperiti *libr. 4. Instit. tit. 2. De Vi bonorum raptor. & in ff. ad leg. Juliam de Vi Publica: nec non in tit. ad legem Jul. de Vi priv. ubi de pœnis hujusmodi furtorum cum armis, aut vi patratorum.* Qui verò rapiunt alienas mulieres, sunt in duplici differentia; alii enim committunt Raptum ad explendam libidinem; alii ad effectum contrahendi Matrimonium cum muliere Rapta. Raptus primi generis definitur, quod sit *Violentia semine facta, causa libidinis explenda.* DD. apud Salmanticenses. *tract. 9. de Matrimon. cap. 12. num. 145.* ubi tria scitu necessaria ponunt. Unum, quod talis Raptus est species distincta luxuriæ, quæ est explicanda in confessione, ultra aliam speciem luxuriæ resultantem à qualitate mulieris Raptæ, puta adulterii, si sit conjugata; stupri, si sit Virgo; incestus,

si sit consanguinea, vel Affinis. *Alterum* dictum est, quod hæc species Raptus committitur, quamvis mulier non abducatur de sua domo; si per vim carnaliter cognoscatur. *Tertium* dictum est, quod si eadem mulier esset alicui desponsata; tunc Raptus illius, ultra alias pœnas pro tanto facinore, evadit Impedimentum impediens, quia ipse Raptor sit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum quacunque alia muliere per *tex. in cap. Statutum. 27. q. 2. ubi Barbo. & sa DD. colligit, inter quos Sanchez libr. 7. de Matrim. disp. 12. num. 43.* à quibus hæc redditur hujus impedimenti impediens ratio: videlicet, quod qui alienum Matrimonium perturbare ausus est, jure proprii contrahendi meritò privetur, ut in quo deliquit puniatur. Sed utrùm textus ille sit intelligendus tantum de Sponsa de presenti, vel etiam de Sponsa de futuro? Alii DD. ajunt, intelligendum esse de utraque; alii verò quod de Uxorata tantum; & sic de Sponsa de presenti solummodò, quod magis placet Sanchezio *d. disp. 12. num. 45.* At mihi magis arridet opinio contraria, quia textus in genere nominat Sponsam alienam; ergo tam de presenti, quam de futuro, utroque enim casu infertur gravissima injuria ejus Sponso per prædictum Raptum, ut observant, ac tenent ibidem Glossa, Hugo, Archidiaconus, Bellamera, & Cardinalis Turrecremata. Alias pœnas contra hujusmodi Raptores mulierum tam de Jure Civili, quam de Jure Canonico inflictas ponit Vinc. de Justis *De Dispensat. Matrim. libr. 2. cap. 18. à num. 1. & seq. & Farinacius libr. 1. conf. 33. per totum.*

Qui verò rapiunt mulierem ad effectum contrahendi Matrimonium cum illa, hi committunt Raptum, ex quo insurgit Impedimentum dirimens, & definitur, ut sit *Violentia femine abductio de loco ad locum causa Matrimonii.* Salmanticenses *d. cap. 12. num. 146.* & ibi Sanchez, Gutierrez, Palaus, & alii. Maltrius in *4. sent. disp. 7. num. 493.* ac Eminenti. Cardin. de Lauræa de *Matrim. disp. 24. art. 1.* ubi notant circa hoc Impedimentum Raptus dirimens tria esse Jura de eo disponentia. Primum est antiquum in *cap. Placuit. 36. q. 2. in quo erat dispositum, ut in pœnam tanti criminis inferentis violentiam mulieribus maritandis, & earum libertati tam graviter nocentis, nullo unquam tempore posset fieri Matrimonium inter eundem Raptores, ac ipsam Raptam, etsi deinde consentiret. Secundum* est Jus medium in *cap. fin. de Raptorib. in quo Innocentius III. temperando rigorem juris antiqui concessit; posse consistere Matrimonium inter Raptores, & Raptam, quodcumque ejusdem mulieris Raptæ, etsi existentis in manu Raptoris, liber assensus accederet. Tertium* Jus novissimum est Sacri Concilii Tridentini, à quo ultra pœnas excommunicationis, infamiae, obligationis dotandi mulierem Raptam, & alias, de quibus *sess. 24. de Matrim. cap. 6. infra referendo, decrevit, non posse fieri Matrimonium inter Raptores, & Raptam, quandiu fuerit in ma-*

nu Raptoris, sed esse de ejus manu tollendam, & in loco tuto, ac libero collocandam; in quo postea si consensum sponte dederit, tunc sublatum censetur Impedimentum Raptus dirimens; & inter ipsos Raptorem, & Raptam validè fieri possit Matrimonium. Verba Concilii Tridentini d. sess. 24. de Matrimon. cap. 6. sunt ista: *Decernit Sancta Synodus inter Raptores, & Raptam, quandiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si Raptam à Raptoře separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam Raptor in Uxorem habeat, & nihilominus Raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames; omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea Raptor mulierem Raptam, si eam Uxorem duxerit, si vè non duxerit, decetero arbitrio Judicis dotare.* Circa quod Concilii decretum observant Sanchez d. libr. 7. disp. 13. num. 1. Perez disp. 38. sect. 3. num. 4. Palaus, & alii apud Salmant. d. cap. 12. num. 150. duas tantum ex prædictis pœnis incurrì ipso facto à Raptoře, idest inhabilitatem ad nubendum cum muliere Raptam, donec reponatur in loco tuto; & excommunicationem, quæ tamen nulli est reservata: alias autem pœnas omnes esse ferendæ sententiæ; ideoque in eas nec Raptořem, nec ei favorem, auxiliumve præstantes, si vè Clerici sint, si vè Laici, incurrere, nisi Judex super iisdem pœnis contra ipsos decretum pronunciaverit; & idem docent Farinacius quest. 145. num. 18. Thesaurus de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Raptus mulieris. Vers. Nota quintò. & Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 18. à num. 20. & seqq. ubi fusè disserit de hac obligatione dotandi mulierem Raptam, ad quam tenetur tum ipse Raptor, tum auxiliares, aut ei favorem præbentes; dicens eam esse præscriptam à Concilio Tridentino de forma; ac propterea esse adimplendam etiam ante Judicis sententiam, nec posse mulierem huic dotationi renunciare; quamvis subdat, contrariam esse opinionem Theologorum Sanchezii d. libr. 7. disp. 13. num. 1. Filliucii tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 8. num. 264. Laymani libr. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. num. 4. & aliorum.

Porro circa hoc Raptus Impedimentum dirimens excitant DD. has novem sequentes difficultates, quas breviter referre, ac dissolvere oportet.

Prima est, an sit Raptus, si puella consentiens è sua domo abducatur, invitis tamen, & reclamantibus ejus parentibus? Affirmat Bonacina q. 4. punct. 18. citans Henriquez, Guttierrez, Tuschum, Molinam, & alios; ¹² quia vis infertur iisdem parentibus, de quorum manibus rapitur puella, & idè cum ea Matrimonium Raptor inire non poterit, nisi facta separatione ad præscriptum Tridentini Concilii. At contrarium docent

Doct. Clericali. Tom II. Lib. VI.

Sanchez d. libr. 7. disp. 12. num. 15. Salmanticensis d. cap. 12. num. 151. Vinc. de Justis plurimos DD. allegans d. libr. 2. cap. 18. num. 49. & doctissimus Maffrius in 4. sent. d. disp. 7. num. 404. eam reddens rationem, quòd Tridentinum loquitur tantum de Raptu, quo læditur libertas ad Matrimonium requisita, cujus lationi solum occurrere intendit; dicto autem Raptu, quamvis vero respectu parentum, non læditur libertas puellæ ad Matrimonium, cujus consensus liber requiritur, non autem parentum.

Hæc autem opinio quamvis vera sit, & in theoria admittatur à DD. secus est in praxi, nam ab Episcopis non recipitur; & quandocunque casus iste occurrit, qui frequentissimus est apud rusticos, & villanos, puellas consentientes, invitis parentibus, è suis domibus abducentes, delatio fit à Parochis ad Ordinarium, qui statim præcipit, puellam ab amatio Raptoře separari, & in loco tuto reponi, ubi ejus consensus, an sit liber, requiratur. Quo facto indicitur publica pœnitentia manendi tribus diebus festivis in Ecclesiæ janua cum candela accensa in manu, durante Missa Parochiali; deindè conceditur dispensatio, ac mandatum, quo datur licentia, ut dicta puella Raptam possit eidem Raptoři nubere. Talis est consuetudo Patavinæ Diæcesis, cujus ego testis sum ocularis per annos quinquaginta, & ultra; & talem consuetudinem tanquam laudabilem esse servandam ait Vinc. de Ju-¹⁴ stis d. libr. 2. cap. 18. num. 14. & 15. adeò ut si ea neglecta fieret Matrimonium, esset quidem validum, sed contrahentes, ac Parochus assistens mortaliter peccarent, juxta Decisionem Rotæ Romanæ in Novissim. Decis. 264. num. 35. & 36. Supradicta Publica Pœnitentia introducta est ad reprimendos ausus villanorum in abducendis puellis è domibus parentum, à quibus earum Matrimonium sibi denegatur; sed non sufficit ad tantam audaciam frændandam; quare ego usus sum alio remedio, cum essem Vicarius Generalis in hoc Episcopatu Patavino Anno 1691. & Eminentissimus Cardinalis Gregorius Barbadicus Episcopus, S. M. Herus meus reperiretur Romæ in Conclavi pro¹⁵ novi Pontificis Romani electione; videlicet, cum mihi delata fuisset querela à nonnullis villanis de abducta puella, nocturno tempore, per amasium ejus, è domo ipsorum; statim rogavi Illustrissimum, ac Excellentissimum Andream Erizzo Prætorem tunc Paduæ, & Senatorem integritate, zelo, prudentia, ac aliis virtutibus præclarissimum, ut rusticum illum Raptořem carceri¹⁶ mancipare faceret; quod statim Satellites Prætoris sunt executi: ex qua captura terror magnus incussus est in omnibus Villis; & per plures diversos sequentes annos, nulla deindè fuit abducta puella. Carceratum illum post mensem feci è carcere relaxari, & habita fide liberi consensus puellæ

Ee

puellæ in loco tuto jam constitutæ, factaque publica poenitentia in janua Ecclesiæ per tres festivos dies, supra insinuata, dispensando concessi, & concedendo licentiam dispensandi, ut Parochus eorum Matrimonio posset assistere, prout fecit.

Secunda difficultas est, An nascatur hoc Impedimentum Raptus dirimens, si quis rapiat mulierem non ad effectum contrahendi Matrimonium cum illa, sed ad explendam libidinem; qua postea expleta, si resolvat eandem in Uxorem ducere, an validè possit absque separatione, & repositione ejusdem mulieris in loco tuto? In hac difficultate plures DD. quos nominat Maftrius *d. disp. 7. num. 405.* & Salmanticenses *d. cap. 12. num. 152.* opinantur, insurgere Impedimentum, & opus esse separatione ad formam Concilii Tridentini, quod loquitur generaliter, & indistinctè de muliere Rapta; ergo est de omnibus mulieribus ex quacunque causa Raptis intelligendum. Contrarium tamen tenent ipsi Salmanticenses, ac Maftrius, & cum eis Sanchez *d. lib. 7. disp. 13. numer. 4.* Gutierrez *cap. 86. num. 8.* Aversa *q. 12. sect. 2.* & alii plures, quos citat, & sequitur Diana *par. 3. tract. 4. resol. 260.* quæ in Coordinato habetur *tom. 2. tract. 6. resol. 152.* ea ratione, quia Concilium non intellexit ita decernere, nisi in Raptu occasione futuri Matrimonii, ut ejus consuleret libertati; quare si Raptor antedictus, qui expleta libidine, veniret in opinionem contrahendi Matrimonium cum eadem muliere apud se retenta, & de facto contraheret, validum esset Matrimonium, ut respondisse Sacram Congregationem die 23. Januarii 1586. testatur Pyrrhus Corradus in *Praxi Dispens. Apostolicar. lib. 7. cap. 6. num. 48.* & Vicent. de Justis *d. lib. 2. cap. 18. num. 47.* ubi plures alios DD. ita docentes citat.

Tertia est difficultas, An hoc Raptus Impedimentum dirimens insurgat, si contractis Sponsalibus de consensu parentum per verba de futuro, Sponsus rapiat Sponsam de eorum manibus ad solum effectum adimplendi Sponsalia, & contrahendi conjugium per verba de præsentì? Et quamvis non insurgere Impedimentum Raptus in hoc casu teneant Henriquez *lib. 12. cap. 14. num. 4. & 5.* & Lessius de *Just. & Jur. lib. 4. cap. 3. num. 70.* quia in *cap. Lex illa. 45. num. 1.* & in *cap. penult. de Raptorib.* expressè dicitur, Raptum esse, si femina abducta non sit Raptoris Sponsa; nihilominus communis est DD. sententia, quod Impedimentum Raptus insurgat; quia Sponsa de futuro potest ex pluribus motivis dissentire Matrimonio de præsentì, nec debet violari ejus libertas per Raptum, ut bene differunt Salmanticenses, alios DD. allegantes *d. cap. 12. num. 153.* quibus adheret Emin. Card. de Lauræa de *Impedim. Matrim. disp. 34. num. 32.*

Quarta difficultas est, quid dicendum, si Matrimonium esset Ratum, sed nondum consummatum, & intra duos menses Sponsus raperet Sponsam invitam? Insurgere Impe-

dimentum Raptus docent Azorius, Molina, & alii, quos citat, & sequitur Bonacina *quest. 4. punct. 18. num. 13.* & Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 18. num. 62.* ea ratione, quia cum Uxor habeat tempus duorum mensium ad deliberandum circa ingressum Religionis, maritus lædit ejus libertatem, illam rapient intra bimestre. At contrarium esse dicendum vult Maftrius *d. disp. 7. num. 406.* & jure quidem, nam Raptus dirimit Matrimonium de futuro, non autem jam contractum; & quamvis maritus mortaliter peccet, rapiendo Uxorem intra bimestre, & ei injuriam faciat, tamen non insurgit ex hoc Raptus Impedimentum dirimens.

Quinta difficultas est, Utrum hoc Raptus dirimens Impedimentum oriatur, si mulier non abducatur de domo sua, sed ita in ea obfideatur, ut inde exire non valeat? Negativè respondet Sanchez *d. lib. 7. disp. 13. num. 7.* quia, inquit, ad committendum Raptum necessaria est abductio; sed ejus opinio refellitur à Maftrio *d. disp. 7. num. 407.* & ab Emin. Cardin. de Lauræa *d. disp. 34. num. 12.* quia mulier, quæ obfideatur domi, amittit suam libertatem, patitur violentiam, & censetur esse in manu ejus, cujus satellites, aut fidearii domum obfident; idcirco donec ab illa obfessione non liberetur, non potest validè Matrimonium contrahere cum illo, à quo obfideatur.

Sexta difficultas est, an faciant Raptum preces reiteratæ, ac importunæ, quibus suaderetur puella ad fugam è propria domo? Respondent DD. quos citant, ac approbant Salmanticenses *d. cap. 12. num. 146.* Negativè, nisi præces prædictæ provenirent à persona magnæ auctoritatis, quæ per eas incuteret vim, & metum, ut supra explicuimus *Decis. XXVII. num. 27.* tunc enim causarent Raptum, & insurgeret ex eo Impedimentum, Sanchez *d. lib. 7. disp. 13. num. 11.* Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 18. num. 70.* & Sperellus *decis. 190. num. 37.*

Septima difficultas est, an sit Raptus, si dolo, aut fraude puella invita abducatur ab amasio de propria domo? Et quamvis negent Sanchez *ead. disp. 13. num. 11. & 12.* Gutierrez *cap. 86. num. 14. & 15.* & alii, quos colligunt, & sequuntur Salmanticenses *d. cap. 12. num. 146.* Ego adhæreo opinioni contrariæ, quam tuetur Vinc. de Justis *d. lib. 2. cap. 18. num. 69.* ita scribens: Dicitur tamen Raptus, si quis Puellam, quæ ad se accedere volebat, vocare fecisset per vicinam in domo ipsius vicinam, in qua ipse vir antea ad hunc effectum absconditus eam stupraret, quæ alias ad eandem domum nullo modo accessisset, si scivisset ibi Stupratorem manere. Et hoc idem probat Genuesis in *Praxi Curia Archiep. Neapol. cap. 20. num. 11.* & Stephanus à S. Gregorio, *cap. 108. num. 9.*

Octava, & quidem famosa difficultas est, an Raptum faciat, & ex eo Impedimentum dirimens insurgat, si Femina præpotens, amore capta, rapiat adolescentem aliquem, & ei sic Rapto nubat? Eritne validum hoc conjugium? Casus iste, non multis

multis jam ab hinc annis, evenit, dum, ut mihi narratum fuit, Comitissa quædam rapuit Nobilem Venetum adolescentulum de Collegio, in quo studiis humanarum Litterarum vacabat; & ad suam domum adductum, statim cum illo Matrimonium inivit? Validum esse hoc Matrimonium asserunt Salmanticensis *d. cap. 12. num. 155.* & ibi Sanchez *d. libr. 7. disp. 13. num. 16.* & alii Carmelitæ Theologi *cod. num. 155.* citati, ea ratione quia Concilium Tridentinum loquitur tantum de Viris Raptoribus faminarum, quarum fragilitati voluit consulere; unde cum sit correctorium Juris communis est strictè interpretandum, neque extendendum ad feminas Raptores virorum. Contrarium tamen defendunt plurimi DD. quos nominat, & sequitur Maffrius *d. disp. 7. num. 408.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disp. 34. num. 34.* quorum fundamentum est, quia quoad hoc non est major ratio de Raptu Viri, quam Mulieris, eadem enim ratio pro utriusque militat, nempe ob libertatem Matrimonii, quæ prorsus eodem modo requiritur in Viro, & in Fœmina. Ergo si alteruter abducatur absque consensu, æquè rapitur, & ex hoc Raptu insurgit Impedimentum dirimens à Concilio Tridentino statutum, cujus mens, & intentio est attendenda, non sonus verborum masculini generis, ut latè prosequitur idem Maffrius *d. num. 408.* & novissimè sustinet Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. à num. 75. & seqq.* ubi contrariæ opinionis rationes evacuat; ac hanc esse veriorem opinionem affirmat, quam tuentur etiam Averfa *d. Matrim. q. 12. sect. 3. Vers. At affirmandum.* Parisius de Resignat. *benefic. libr. 12. q. 4. num. 32.* & Fontanella de Pactis Nuptialib. *clausul. 5. Gloss. 5. part. 2. num. 54.*

Nona difficultas est; cum pœnæ à Concilio Tridentino contra Raptores inflicte, etiam coadjuvantes, & favorem impertientes afficiant, dubitatur, Utrum easdem pœnas incurrat Parochus, qui assistit Matrimonio, quod inter se contrahunt Raptor, & Rapta, omisis ejusdem Concilii requisitis? Negative respondent Sanchez *d. libr. 7. disp. 23. num. 1.* Averfa *d. q. 12. sect. 3. Vers. & quoad complures.* nec non Vinc. de Justis *d. cap. 18. num. 43.* unico excepto casu, videlicet si Parochus ante Raptum promississet assistere statim dicto Matrimonio, unde Raptor animosior factus fuisset ad illam mulierem rapiendam. Ideò cauti debent esse animarum Pastores, & in eventum alicujus Raptus à se Raptores expellant, ac negotium deferant ad Curiam Episcopalem, ab ea mandatum expectaturi pro præstanda assistentia prædicta; etiam si amassus assereret, se puellam non rapuisse, sed eam spontè à paternis laribus declinasse; semper enim opus est judicio Ordinarii, à quo separatio puellæ est præcipienda, ut in loco tuto reposita certificari possit de ejus libero consensu pro conjugio cum Raptores ineundo, ut advertit idem Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. num. 83.* ubi DD. cumulat.

Doct. Clericali, Tom. II, Lib. VI,

Tandem corollarii loco circa hoc Raptus Impedimentum dirimens duo veniunt notanda. Unum est, quod si Rapta sit mulier, & opus sit dispensatione Apostolica super aliquo Impedimento consanguinitatis, affinitatis, vel alterius generis existente inter Raptores, & ipsam mulierem Raptam, opus est, ultra impedimentum, super quo petitur dispensatio, exponere etiam Raptum secutum inter Oratorem, ac Oratricem, alias si taceatur, etsi facta foret separatio, & posita mulier in loco tuto, dispensatio esset nulla, & invalida, ut doctè advertit ipse Vinc. de Justis *d. libr. 2. cap. 18. à num. 30. & seqq.* subdens: *Esse hujusmodi crimen Raptus adeò detestabile, ut ab illo maxime plurimum Papa abhorreat, & propterea in omnibus mandatis dispensationum Matrimonialium, quas committit exequendas, apponit clausulam, Dummodo dicta Mulier propter hoc Rapta non fuerit. Et hoc juxta Regulam 49. Cancellaria Apostolica, ubi dicitur: Voluit, quod in Litteris Dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula, si mulier Rapta non fuerit. Et in hoc casu petitæ dispensationis Apostolicæ, Ordinarius non potest amplius absolvere Raptores ab excommunicatione; quia cum Papa committit dispensationem exequendam à suo Delegato, assumit in se totum negotium, quod totum censetur remissum eidem Delegato, juxta regulam per appositionem manus Papæ in aliquo negotio, in eo inferiorum manus ligantur. cap. Ut nostrum. 56. De Appellat. quod scribunt etiam Barbosa in *Votis Canonici* libr. 2. *Voto 33. num. 57.* Gratianus *Discept. Forensi. cap. 574. num. 3. & 6.* Gonzal. *ad Reg. 8. Gloss. 52. num. 17.* & Riccius in *Praxi Fori Eccles. Resol. 278. num. 1.**

Alterum notandum est, Raptum mulierum pro Matrimonio cum eis ineundo, esse semper causam malorum, ac infelicitatum, ut experientia quotidiana demonstrat; & testantur Historiæ antiquorum, ac recentiorum temporum. Raptus Dinæ filiae Jacob patratus à Principe Sichem, non obstante Matrimonio cum ea inito, & circumcissione assumpta per Sichimitas, causavit homicidia multorum, ut legitur in *Genesi cap. 34.* Duo filii Jacob, Simeon, & Levi Fratres Dinæ, gladiis ingressi sunt urbem confidenter, interfeceruntque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Propter Raptum Helenæ Tyndari filiae factum à Paride, Primi Regis Trojæ filio, tanta ira exarserunt Græci, ut post longum bellum ad nihilum reducerint Trojam, ac Trojanos: unde cecinit Propertius 2. 3.

Olim mirabar, quod tanti ad Pergamæ belli.

Europe, atque Asia causa puella fuit.

Referunt Strabo, ac Paulanias bellum maximum inter Lacedæmones, & Messenios fuisse, eo quod Messenii Spartanæ Virgines ad ædem Dianæ violaverant. Ob Raptas Sabinas mulieres à Romanis tempore Romuli, ut narrat Titus Livius *libr. 1. Decad. 1. in princ.* quot urbium excidia, quot populorum interitus, quot humani sanguinis effusiones?

E c 2

Nemi,

Neminem later, qui legerit Patavinas Historias, quantæ fuerint clades, armorum con-
 28 dictus, Villarum direptiones, & homici-
 dia in hoc Territorio Urbis Antenoreæ inter
 Familias Ezzelinorum, ac illorum de Cam-
 posamperiis, Anno, 1212. ob raptam ab Ez-
 zelino Cæciliam nobilissimam, ac dirissimam
 Puellam, filiam quondam Nobilis Manfredi
 de Baone, destinatam Gerardo Camposam-
 perio in Uxorem; quam vi, & præpotentia
 suo Monacho filio suo, Gerardus non
 multo post, ad tantam injuriam vindican-
 dam, eandem Cæciliam è Bassano Patavium
 venienti adortus, violenter oppressit, ac
 integra nocte carnaliter cognovit; quare
 Ezzelinus repudiata (etsi innocente) Uxore,
 cum Camposamperiis bellum iniit, ut tan-
 tum facinus ulcisceretur. Rem narrat per-
 strictis verbis Jacobus Cavacius in *Histor. S. Justina de Padua* libr. 2. pag. 82. & 83. his ver-
 bis: Ezzelini primi filius, nem Ezzelinus Balbus,
 & Nepos, ab inita Religione Ezzelinus Monachus
 appellatus, familiam multis opibus, & affinitari-
 bus provexerunt. Peteres ambo similitates enutrie-
 bant adversus Camposamperios ex Stupro Cæcilia
 Baonia dirissima fæmina, quam Balbus inique præ-
 reptam Gerardo Camposamperio, Nepoti ex Cunissa
 sorore, conjunxerat Ezzelino filio, & Gerardus
 idem injuriam ultus viciaverat. Inde rixa, & oc-
 cisiones multe, donec publica auctoritate, & ami-
 corum opera ab armis temperatum est; licet ex
 animo Ezzelinorum injuria non exciderit. Ideo
 Petrus Tholosanus *Synagm. Jur. Univ.* libr. 38. cap. 8. cum egisset de hoc pessimo crimi-
 ne Raptus num. 14. concludit: Non est hic
 quod referam, quot clades antiquitus, &
 bella orta fuerint ob Raptus mulierum, de
 quibus Herodotus meminit libr. 1. in princ.

Concludenda est hæc Decisio verbis Basilii
 Pontii libr. 7. de *Matrim.* cap. ult. num. 6. dicen-
 tis, hoc Impedimentum Raptus dirimens at-
 tendi in illis solis locis, in quibus Concili-
 um Tridentinum receptum est; in aliis verò
 id fervari, quod à Jure Canonico erat sta-
 tutum in cap. fin. de Raptor.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Ad tollenda clandestina Matrimonia, duo
 adhibita sunt remedia à Concilio Tri-
 dentino sess. 24. cap. 1. de *Matrim.*
 Unum, quod præmittantur Denun-
 ciationes à Parocho: Alterum, quod
 ad ejus præsentiam, duorumque, aut
 trium testium, Matrimonium celebre-
 tur. De necessitate earundem Den-
 unciationum agitur in Decisione
 præsentis, & docetur, quibus loco,
 & tempore sint faciendæ: ac quando
 obligent sub mortali scientes Impe-
 dimentum, ad illud revelandum?

Ostenditur, à quibus Denunciatio-
 nes possint remitti? Et quibus de
 causis? Tandem conditiones tradun-
 tur, sub quibus Papa dispensat super
 Impedimento, quando omiffæ fue-
 runt Denunciationes.

SUMMARIUM.

1. *Clandestina Matrimonia per Trident. Conc. duobus remediis correctæ.*
2. *Denunciationum Matrimonialium neces- sitas.*
3. *Illas omittentes peccant mortaliter.*
4. *Parochi assistentis Matrimonio sine denun- ciationibus pena.*
5. *Denunciationes omitti possunt impune in quinque casibus.*
6. *Denunciationes quo in loco sint facien- dæ?*
7. *Vagabundi ad Matrimonium non admit- tendi sine licentia suorum Ordinari- rum.*
8. *Denunciationes in Ecclesia Parochiali fa- ciendæ.*
9. *In diebus festivis, non autem ferialibus.*
10. *An in festo devotionis, & ad Predicatio- nem Vespertinam?*
11. *Utrum in tribus festivis diebus non in- terpolatis?*
12. *Denunciationes jam factæ quando repe- tendæ?*
13. *An à Parocho personaliter publicandæ?*
14. *Denunciationes obligant scientes Impe- dimentum, illud revelare sub pena pec- cati mortalis.*
15. *Personæ obligatae revelare Impedimenta Matrimonia quæ sint?*
16. *Impedimentum Matrimonii in quinque casibus non revelandum.*
17. *Denunciationes à quibus dispensandæ, ac remittendæ?*
18. *Apellatio datur à denegata Denunciatio- num dispensatione.*
19. *Causæ quindecim, ob quas remitti pos- sunt Denunciationes.*
20. *Informatio sumenda ab Ordinario ante remissionem Denunciationum.*
21. *Denunciationes ab Ordinario remittun- tur etiam extra suam Diocesim.*
22. *Denunciationes non fuisse factas expri- mendum est Pape pro valida dispensa- tione super Impedimento obtinenda.*
23. *Conditiones, quas Papa ponit in dispen- satione, si fuerint omiffæ Denuncia- tiones.*

Quia ex clandestinis Matrimoniis magna
 resultabat perniciēs Animarum, eo quia
 plurimi